



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad
Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

Qvarta Dies Exercitiorum. Occupationes quartæ Diei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)



QVARTA DIES
EXERCITIORUM.

Occupationes quartæ Dici.

DISSERTATIO.

De Amore Christi.

- Meditatio I. De Regno Christi.
- II. De Incarnatione Christi.
- III. De Nativitate Christi.

Si quatuor placet habere meditationes, illam, quæ de Regno Christi est, repetes. Ita sanè S. Ignatius desiderabat fieri. Nihilominus licebit etiam pro quarta accipere illam de Circumcisione Christi, quam sequenti die primo loco posituri sumus, pro qua deinde die aliarum quatuor adhuc erunt residuæ.

Ex Libello Exercitiorum leges septem Annotationes pro secunda Hebdomade, & regulas ad discernendos spiritus, convenientes præcipue secundæ, quam ordimur, Hebdomadæ Exercitijs.

Ex Thoma Kempensi. Pro I. Meditatione
Cap. 1. lib. 1. & 3. & 32. lib. 3.
S 3 Pro II.

LIAR.

Pro II. Cap. 1. 7. 8. lib. 2.

Pro III. Cap. 1. 2. 3. & 4. lib. 3.

Consideratio instituetur de Lectione spiri-
tuali, Concione, & communicatione cum Pa-
tre Spirituali.

X. ANNOTATIO.

Posteriorum trium Hebdomadum divisio,
Expiatus jam primæ Hebdomadis &c.

XI. ANNOTATIO.

Finis secundæ Hebdomadis.

Anima, quæ vult &c.

XII. ANNOTATIO.

Secundæ Hebdomadis Ordo.
In primis nobis proponit &c.

*Ad Meditationem de Regno
Christi.*

JESUS Christus missus ab æterno Patre, ad
monstrandum humano generi perfectæ vir-
tutis iter, exemplo potius quàm verbis id execu-
tus est: idque sanè unicum satis efficax argu-
mentum esse par est, quo ut eum penitus sequa-
mur, persuaderi nobis oportet, & pro explorato
esse, non esse majus aliquod vitæ nostræ bonum,
quàm Divinæ Servatoris nostri Vitæ industri-
am imitationem; juxta illius nimirum argu-
menti veritatem, quam in Annotatione X. pro-
posui.

posuimus. Summa hominis est felicitas, si DEO
perfectè placeat: placet autem, si, quanto po-
tèst, studio Incarnatum DEI Filium imitetur;
id igitur si faciat, obtinuit, quantam mortalis po-
tèst, felicitatem. Id quidem licèt ita omnino
sit, Divinus tamen Spiritus, cum S. Ignatio, toti-
que posteritati DEI-Hominis imitationem
persuadere vellet, noluit in eo solum acquiesce-
re, ut ostenderet boni omnis, ad quod aspirare
mortales possumus, summam in vitæ nostræ
cum sanctissimis Christi moribus conforma-
tione consistere; sed alia insuper adjecta voluit,
cæque non minùs valida argumenta, quibus effi-
caciùs ad hoc imitandi studium traheremur.

Exhibet nimirum nobis Divinus mentium
nostrarum Magister JESUM Christum, Regem
Regum, quasi semetipsum nobis pro duce offe-
rat, demissa ad miseras nostras majestate sua,
quam illis, salutis nostræ studio, voluit operire.
Atque sic militari S. Ignatij genio se conformans
Instructor DEUS, hac nobis ratione su-
premu Ducem nostrum, velut in imagine
quadam videndum exhibet, & audiendum.

Si, inquit, Rex aliquis terrenus electus à Deo,
ad gubernandos Principes, & populos Christia-
nos, ad expugnandas infidelium provincias, hoc
animi sui decretum, de gentibus imperio suo

submittendis, enuntiari subditis juberet, velle-
que, ut, quotquot in tam gloriosa expeditione
sequi illum vellent, non alio statuerent uti cibo,
vestitu, alióve corporis cultu, quàm quo Regem
uti viderent, promitteret verò insuper, quòd,
qui ex sequacibus pugnarum essent futuri socij,
illi & victoriarum se crederent fore participes,
pro militarium laborum numero, & asperitate
sanæ profectò nemo mentis foret, qui non oc-
ùs tanti se Principis obsequijs, in tam nobili
negotio, cum conditionibus tam magnificis ul-
tro vellet consecrare. Cùm ergo Christus
Servator noster, Regum omnium supremus
Princeps ad hoc venerit, ut humanas a terro
suo Patri, sibi que mentes subijceret, cùm que ad
hunc finem tam gloriosum libero voluntatum
nostrarum assensu opus habeat, & idcirco invi-
tet nos, ad conjungendam secum destinato
negotio operam, ad suã sequelam & imitatio-
nem nos pertrahens, cùm denique sanctè nobis
polliceatur, neque victorias, neque triumphalia
illis dona de fore, qui pugnis nunquam defuis-
sent, sed fore quemvis participem quietis, &
gloriæ, prout laborum fuerit generosus comes;
quis erit adeo pudendæ tandem vecordix, qui
non animitus tanti Principis voluntati se to-
tum accommode, non ad illa tantùm, quæ ut-
cun-

cunque sunt necessario toleranda, sed ad omnes carnis illecebras, & omnes honorum, vanæque gloriæ titulos profus abdicandos?

Hic discursus quatuor efficaces complectitur rationes, quibus præter privatum commodum nostrum, quod ex sanctissima hac servitute nobis obvenit, quantumcunque reluctans animus potest expugnari. Prima ex infinita Regis nos evocantis majestate ducitur; altera est, quod se nobis præliorum, & laborum omnium socium, utique pretiosum, offerat; tertia dignitatem exhibet, quam assequemur, cum cœlestem tanti Ducis vitam æmulari studebimus; quarta demum ex obligatione nascitur, quæ tenemur omni illum studio diligere, qui amoris erga nos incomparabili excessu nostras induere ærumnas non est dedignatus, ut exemplo suo nos instrueret, qua ratione iisdem tanquam potioribus salutis nostræ instrumentis nos oporteat, ut DEO Conditori nostro quam acceptissimi, omnique virtutum apparatus reddamur ex cultissimi.

Est autem hæc meditatio sequentium trium Hebdomadarum fundamentum: generatim enim quodammodo illa nobis mysteria proponit, quæ consequentes de vita, & passione Christi meditationes sigillatim exponunt. Unde

consentaneum est, ut profundè illam animi imprimamus, quò affectu ad imitationem Salvatoris nostri feramur avidissimò.

Nuncupatur porrò hæc meditatio *de Regno Christi*, sive quia Regi cuiusdam terreno in illi comparatur Christus, sive quia sub Regis illius schemate contemplamur, qui amissum sibi principatum cogitat sui denuo juris facere. Jam duplex in homine DEVS regnum habet, quod utrumque Unigenito suo tradidit; horum unum ita comparatum est, ut necessario obtentoperet homo; alterum servitute quidem eum, sed arbitrariâ obstringit. Primum illud nunquam non possedit, non item secundum, in quod scilicet dominatum non exercet ampliorem, quam quantum libera hominis voluntas subjectis ultro facultatibus suis illi tribuit. Ita igitur prævaricatoris nostræ voluntatis vitiò perditam ditionem cum DEUS recuperare vellet, misit Unigenitum suum, qui omnem in id vitam, omnes labores suos impenderet, ut nos æterno Patri redderet, ut par est, subditos, & obsequentes.

Quâ in re illud imprimis considerandum est, potuisse Dominum, & Salvatorem nostrum, vitam æquè sanctam in deliciis, & honoribus vivere, quàm in mediis ærumnis, & multiplici

contemptu vixerat: Generis ergo humani rationem habuit, quando illam, quam duxit, præ altera deliciosa elegit vitam, talem scilicet, qualis debebat esse, ut nos, qui summa laboramus infirmitate, sanctissimos Ejus mores imitati, securi salutis nostræ ad veræ sanctitatis culmen possemus pertingere.

Proinde cum ad suū nos sequelam Dominus invitat, ita quodammodo nos alloquitur. Ne vos terreat vitæ meæ asperioris difficultas; ita vobis omnino persuadete, necessariam esse vobis, quantamcunque videtis, duritiem.

Non aliò eam sine amplexus sum, quàm ut suaviter ad me vos alliciam æquò sanè, si quid sapitis, animò feretis, ut, dum me sequimini, non durius vos oporteat vivere, quàm me victurum videbitis. Cum ergo doloribus & ærumnis me videritis oppressum, non ad aliud putate me affligi, quàm ut exploratum vobis faciam, hanc solatij, hanc honoris, com modi, felicitatis vestræ summam esse, si unà mecum dolere, contemni, egere vobis allubescat. Amplectimini, si me diligitis, & in vobismet efformate, quam vestræ studiò salutis sucepi, vitam meam.

Octava Veritas,

Explicata in meditatione de Regno Christi.

Imitari deinceps Christi vitam debeo.

Primum Punctum de Regia Christi potestate agit, quam cum ideo acceptaverit, ut humanum genus universum, quantum posset, ad æterni sui Patris obedientiam reduceret, simul me instruit, ipsis naturæ legibus me obstringit, & Patri æterno, & Unigenito Ejus, tanquam supremis, & æquissimis Dominatoribus humani generis, totum me ad omnem obsequij formam subiiciam.

Secundum inexplicabiles Filij DEI erga me, totumque humanum genus, favores exhibet, & novum unà titulum explanat, qui arctissimè me devincit, ad id omne æterno huic, amabilique Principi offerendum, quod à me desiderat, quandoquidem plura infinities pro me pertulit, quàm ea sint, quæ à me exigit, amoris ineffabilis impulsus robore.

Tertium illa enumerat, quæ Salvator noster à me exigit tanquam subditò, naturæ quæ legibus suæ majestati adstrictò, & cui beneficia tantæque contulit, quorum & numerus & pretium omnem æstimationem superant. Est autem

tem, quod à me postulat, hoc unicum ; ut studiam vitam meam suæ conformare, ut hoc tandem pacto & placito æterno Patri suo mores induam, & salutem meam modo quodam prorsus excellenti procurem. Unde intelligam, omnem meam, quanta quanta est, obligationem huc denique recidere, ut Redemptoris mei vitam in meipso curem effingere, prout proposita id veritas habet, & sanctorum omnium exempla nos docent.

Meditatio.

De Regno Christi.

Oratio præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. Ob oculos sibi statuere Christum, ambulans per vicos, & oppida Judææ, ut doctrinam, & exemplo homines ad Virtutem trahat.

II. PRÆLUDIUM. Petere Divinam gratiam, qua opitulante generoso cordis affectu illi me consecrem, cum firmo animi decreto, & credenti, & imitandi, quæ dicit, agitque ; accipiendo doctrinam illius pro virtutis acquirendæ regulam, vitam autem ejus sanctissimam pro ejusmodi idea, ad cujus exemplar, si quidem placere Conditori meo velim, penitus efformare me debeam.

I. PUN-

I. PUNCTUM.

Christus totius humani generis
Rex est.

Consideranda.

Cum mitteret æternus Pater Unigenitum suum in hunc mundum, Sanctissimæ Ejus Humanitati supremam in omnia creata potestatem dedit, qua toti quidem universo, maxime verò humano generi cum summi Regis imperio præset. Et Christus quidem acceptavit oblatam sibi dignitatem; quia sic placere æterno Patri intellexerat, statuitque vires illico omnes intendere ad id, quod ad subiiciendum æterno Patri terrarum orbem universum factio opus cognoverat.

Affectus.

1. Detestatio perduellis fraudulentæ, qua DEO jus illud, quod in voluntatem meam Regia potestate exercere deberet, ereptum ivi, quoties peccare ausus sum. 2. Laudare Divinam Bonitatem, quæ cum videret creaturam, officij sui velut immemorem, tam amabilem ei Regem providit, qui, quàm posset suavissimè, ad obtemperandum eam reduceret. 3. Gratiarum actio pro hac gratia prioribus omnibus majore. 4. Accepta, & adora JESUM, tanquam supremum

num tuum Regem, & Dominum. 5. Gratulare
toci humano generi felicitatem suam, quâ sub
talis, tantique Principis gaudet dominatu. 6. De-
sidera, ut omnes pretiosæ huic servituti se man-
cipent. 7. Offer Ei omnem libertatem tuam,
& sincerè desidera, consecrare eam illi integer-
rimè. 8. Profitere affectu, quò potes, sincerissi-
mò fidelem in omnibus subjectionem, qualis
debetur, tamque amabilis Regis subditum.

II. PUNCTUM.

Christus se totum hominis reducendi
negotio impendit.

Quæ de subditis suis Divinus hic Impe-
rator statuit, non sunt nisi cum salute, & felici-
tate ipsorum maximâ, conjuncta. Fixum enim,
ratumque habuit, opes suas facultatesque
omnes, quoad per æterni Patris sui placita li-
cuerit, ipsorum salutî impendere. Exemit eos
omni gravissimarum calamitatum genere, &
omni bonorum apparatu cumulavit, eò se Ma-
jestatè suam demisit, ut habitu inveniretur
ut homo; suavissimè cum illis egit, instruens
familiariter velut colloquio de omni eo, quod ad
incolumitatem illorum faceret: Virtutis, san-
ctitatisque exemplar aliud esse non voluit quàm
se;

se; Partes egit Redemptoris, Magistri, Ducis, Amici, Consolatoris, Medici, Nutricis, Consiliarij, Advocati, Patroni, Procuratoris, & cuius tandem non? Imperij aliud nihil dedit, quam ut mutuò se amore complecterentur. Se denique totum ipsis tradidit eâ voluntate, ut & vitâ, & morte suorum saluti consulere. Unde & ejusmodi vitam, necémque voluit eligere, quam suis scivit magis esse proficuam; cum tamen utraque doloribus, contemptu, & omnium arumnarum genere fuerit refertissima.

Affectus.

1. Admirari bonitatem Regis mei ineffabilem, qui tantopere de salute mea est sollicitus, ut quidquid est, habetque, mei studio impendat. 2. Comparare cœlestem hunc Principem, cum terræ hujus nostræ Regibus, qui tanti non sunt, ut non magnam Majestatis suæ partem subditis debeant, in quorum tamen commodum ipsi non rarò parùm expendunt. 3. Optare, ut hæc inexhausta Bonitas cognoscat, & ametur ab omnibus. 4. Gratiarum actio terribilissima tantis Cœlestis in nos collatis beneficijs, enumerando saltem, quæ potiora sunt. 5. Offerre illi, quidquid à me exigit, & optare, ut in infinitum ampliora possim consecrare. 6. Polliceri summam pro viribus meis Divinæ Ejus Gloriæ pro-

propagationem, omni quidem studio quærendam, in eo tamen maximè, ut me totum Ejus obsequijs dedicem, amem, & sequar, quoad licuerit, opitulante Divina gratia; rem judicando prorsus indignissimam, ab hac vivendi ratione, vel tantillum discessisse.

III. P U N C T U M.

Christus aliud à nobis non exigit, nisi suâ Imitationem.

Consideranda.

Unum est, quod Cœlestis hic Princeps subditis suis imperat, laborum scilicet vult committere nos esse, vitamque illam difficilem, quam in salutis nostræ gratiam suscepit, ut imitemur, exigit. Nos, ut morem tam justæ voluntati geramus, validè utique, si quid sapimus, inducemur; tum ab ipsa Regis, qui jubet, magnitudine, tum ab honore, qui nos, cum socij laborum erimus, comitabitur; tum à singulari beneficio, quod est, imitari æternum DEI Filium, tum ab omnibus, quas tam multiplici in nos frequentia derivat gratijs, donisque cœlestibus, tum ab ipso denique amore, qui ad tam ærumnosum vitæ genus, pro nobis eligendum, ipsum permovet. Idem Sanctorum omnium generosa nos
T exem-

exempla docent, quorum nullus est, qui non Regis hujus cruenta vestigia presserit.

Affectus.

1. Fateri, & agnoscere, quàm parùm sit, quod exigit Dominus noster, si cum eo, quod exigere summo jure potest, comparetur. 2. Agnoscere, quòd res nobis dignissima, & honestissima sit, & quòd ingentia sibi à nobis delata obsequia satis utique præmij acceperint, si in remunerationem id honoris, quod modò offert, cum ad sui sequelam nos admittit, exhiberet. 3. Penetrare omni studio Divinæ erga nos Charitatis inventa, quibus id agit, ut ab eo, quod adeo nobis, & utile, & necessarium est, non abhorreamus. 4. Disquirere cum Salvatore nostro modos longè suaviore, quibus uti poterat, quin cogeretur ærumpnas illas tolerare, quas nobis exemplo suo dignatus est amabiles facere. 5. Laudare incomparabilem hanc bonitatem. 6. Demissè, & ferventer Divinam ad id, quod Salvator noster intendit, operemur flagitare, ut omni ipsum industriâ imitemur. 7. Perpendere, sensumque veritatis hujus per otium quodammodo penetrare: quòd ex rebus in hac quidem vita desideratissimis, nihil ita, tum Divini cultûs, tum felicitatis meæ studio desiderare debeam, quàm ut Redemptori meo & amo.

amore, & imitatione sanctissimæ ejus vitæ proximam sim conjunctissimus: & quod ex omnibus, quæ in hoc orbe sunt formidanda, nihil ita horrere debeam, quàm separari à tam beata cum DEO meo Unione. 8. Quod esset segnities intolerabilis post tot omniætatis, & sexûs exempla. Nunquid tot Beatis ego Mentibus fuerim sapientior? 9. Proponere emendationem damnatæ negligentia, illamque jam nunc ordiri, 10. Offerre, quidquid sum, Redemptori nostro, illamque obsecrare, ut ita oblatum sibi munus dignetur acceptare, ut in promissi executione languorem nunquam contraham. 11. Sanctorum ad hoc negotium implorare suffragia.

Colloquium ad Beatissimam Virgine[m] dirigetur; supplicem petam, ut gratiam mihi impetrandi Redemptorem meum, pro eo, ac ipsa, filiiusque ejus desiderant. *Ave Maria,*

Compendium Meditationis

De Regno Christi.

Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Videre Dominum obeuntem
Judææ terras, ut ad virtuteta homines pertrahat.

T a II. PRÆ

II. PRÆLUDIUM. Gratiā petere, quā ipsi generosè me consecrem, sanctissimā quæ Ejus vitæ meam penitus conformem.

I. PUNCTUM. DEUS Pater Filium suum in has terras demittens, Humanitati Ejus supremum rerum omnium, quantum haberi poterat, tradidit dominium; peculiari tamen ratione humani illi generis Regem constituit; quam ipse dignitatem ex æterni Patris sui amore acceptavit.

II. PUNCTUM. Quæ decrevit Divinus hic Princeps, erant subditis utilissima: se enim suasque opes in suorum obtulit commodum, quantum Divini Patris concesserat voluntas. Malis verò eisdem exemit maximis, & bonis ornavit preciosissimis.

III. PUNCTUM. Unum duntaxat à nobis postulat, ut vitam, quam salutis nostræ studio suscepit, imitemur. Ut acquiescamus postulate, movere nos debet jubentis auctoritas, suæ, quam nobis offert, societatis dignitas, similitudinis tam nobilis vitæ singulare beneficium, bonorum, quæ ab ipso recepimus, amplitudo, & amor præcipuè, quò impulsus hanc vivendi normam elegit, summâque tandem, quæ in nos ex imitationis hujus studio derivatur, utilitas. Hoc est, quod tota Coelitem fecit Republica. Cum illis sequi JESVM necesse est.

II. Meditatio. De Incarnatione Christi. 293

Colloquium ad Dominam nostram DEI
Matrem fiet. petemúsque, ut gratiam nobis im-
petret, integrè Salvatoris nostri vitam imitandi.
Ave Maria.

XIII. ANNOTATIO.

Quid potissimùm in Christi vitâ discendum
nobis, imitandúmque sit?

Quemadmodum æquum omnino est &c.

XIV. ANNOTATIO.

De Mysteriis vitæ Christi, & modo illam
meditandi.

Conceptó jam propositó &c.

Nona Veritas.

Explicata in meditationibus de vita
Christi.

*Obedire debeo perfectissimè, & ad annihila-
tionem usque me demittere, durámque ample-
cti paupertatem.*

Primum Punctum in omnibus hisce medi-
tationibus perfectissimam Redemptoris nostri
obedientiam exhibet.

Secundum ostendit, quàm mirabili ratione
humilitas immensum æterni Patris Filium anni-
hilaverit.

Tertium perennes sanctissimæ Ejus pauper-
rimæ-

rimæ quæ vitæ ærumnas, & calamitates exhibet. Et quid his omnibus significatur, quàm si quidem similes Ei fieri velimus, necesse fore, ut huic virtutum triadi integrè, omnique operæ studeamus?

Meditatio.

De Incarnatione Christi.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRÆLUDIUM. Cùm illuxisset tandem dies illa, quâ hominem DEUS induere decreverat, misit æternus Pater Gabrielem ad Sanctissimam Virginem, ut ab ipsa consensum impetraret necessariû promissi Messia conceptui. Obsequitur Divinis jussis Cœlestis hic Legatus, seseque cum ingenti coram Reginâ jam suâ sistit reverentiâ, salutatur, quem divinitus acceperat, modo, nuntiat, eam futuram DEI Matrem, idque ut absque Virginitatis jactura contingat, fore Divini scilicet Spiritûs obumbraturi prodigiû. Tum de adoranda nascituræ prolis majestate Virgineam Matrem edocet, miram insuper cognatæ Elisabethæ fœcunditatem revelat, ut exemplo nimirum domesticò confirmet, non esse impossibile apud DEUM omne verbum. Virgo acceptò hoc Divini partus nunciò, in sinu se nihilum recondens, acquiescit Divinæ circa

se voluntati, illoque ipso momento Divinus Spiritus ex purissimo ejus sanguine Divini infantis format corpusculum, & quatenus creavit, hoc ipso temporis puncto infundit animam, totique jam homini æternum VERBUM admirandæ illius unionis vinculo se conjungit, mansurum pro aliorum infantum more novem mensium spatio in sanctissimæ Matris suæ visceribus. Quidquid verò in thesauris suis Divina Majestas pretiosum habuit, id in Puelli hujus effudit animam; unde & Divinæ Essentiæ beatam illam visionem, in ea jam perfectione habuit, qua modò exactis jam laboribus triumphans illam possidet.

II. PRÆLUDIUM. Ponam me, & spectabo in angusto cubiculi virginalis angulo, cum ingentiverecundia, & reverentia Divinam Matrem, Cœlesti Nuntio colloquentem.

III. PRÆLUDIUM. Petere gratiam intelligendi probè, tenerè diligendi, & sincerè exequendi perfectam Obedientiam, profundam humilitatem, & patientem Paupertatem, imitationis, & amoris Redemptoris mei studio; qui, cum Rex & Dominus meus sit, ab ipso Incarnationis tempore ideo illas amplexus est, ut earum mihi amorem persuaderet efficacius,

I. PUNCTUM.

Obedientia Filij DEI.

Consideranda.

Perpende incarnati Filij DEI admirabilem obedientiam. 1. Obedivit æterno Patri suo, ab ipso vitæ suæ initio, ipso conceptus videlicet sui momento, quo amplecti jam capit, quidquid æternus Pater de redimendo humano genere statuerat, & ad omne se imperium, quantumcunque futurum esset difficile, se obtulit. 2. Accuratâ diligentia, quamdiu vixit, leges illas, quas universæ rerum naturæ Auctor Parens tulerat, observavit. 3. Novem integris mensibus arctam non recusat Uteri Materni captivitatem. 4. Agit, quidquid agendum æternus Pater præscripsit, & ab omnibus, quæ Paternæ voluntatis nutu intelligebat sibi vitanda, solerter abstinuit: usque adeo, ut pro Matris suæ Sanctissimæ libitu geri se suâque sustineat.

Affectus.

1. O te gloriosam deinceps obedientiam, quæ obsequentem legibus tuis DEUM sortita es! 2. Quis non honoris loco posthac habiturus est, tuis se juribus cum DEO obediente subdere? 3. O si obedire tunc cepissem, cum vivere incepi! O si momentum vitæ nullum abiisset, quo

quo non obedivissem, uti debui! 4. Domine Virtutum obedientissime, hanc mihi virtutem indulge, tibi tam amatam, ut vitam illi omnem consecraveris, à primo jam momento ad ultimum usque spiritum ex ejus legibus omnes tuos actus moderatus. 5. Ah! quàm à tuî, mi JESU, imitatione procul adhuc abeo, qui ad pueriles solum molestias indignis motibus concutior, cum tu à primo vitæ tuæ exordio novem mensium bene longo tempore in obedientiæ carcere, lubens volensque, perseveres. 6. Peritè, ô Divine Magister, me instruis, nihil esse salutis meæ convenientius, quàm omnem Creatoris mei voluntatem amplecti.

II. PUNCTUM.

Humilitas Filij DEI.

Consideranda.

En tibi profunditatem, & ad usque nihilum demissionem supremi Regis nostri. 1. Non recusat habere corpus longè ac alij infantuli solent, minus; cum & formatum illud, & animatum in ipsa statim conceptione fuerit. 2. Ultra se gloriâ illâ spoliavit, quæ Sanctissimo Ejus Corpori ob Animæ, cum qua conjunctum erat, beatitudinem debebatur. 3. Nihil quoad corporis sui vitam peculiare admittere voluit. Nam

T 5

quòd

quòd insueto quodam modo conceptus sit, voluisse videtur, vel Matris suæ, vel etiam virginæ puritatis, quam hoc in puncto humilitati prætulit, honori concedere. 4. Novem mensibus materni uteri carcerem pati voluit, longe illo, quem alij ratiõis usu destituti ibi sustinent, graviolem. 5. Matri suæ modestissimè obsequitur, neque impedimenti quidquam obijcit, quin circumferre se infantulum, quòd lubet, possit. 6. Paupere cum parentibus suis utitur domicilio. 7. Cum humillimæ conditionis hominibus conversari non dedignatur. 8. Servit quodammodo illis, qui Matri suæ, & Nutricio Josepho servant. 9. Ignotus est, si quinque aut sex personas dempseris, toti mundo. Primis, quibus in utero gestabatur, mensibus ita in universo erat, ac si non esset; postea verò cum apparere paulatim in publico cæpisset, habebatur pro infante nullius pretij, aut dignitatis, concepto in cas, in quas viles terræ filij, miserias.

Affectus.

1. Eja cæci honorum aucupes huc ad Regem vestrum properate, & discite, in eo honorem vestrum versari, ut contemni desideretis. Parùm ille, imò nihil, illam ambivit gloriam, quam humanæ laudes conferunt, qui illam ultro dimisit, quam DEUS debuit. 2. Fuge, si qui-

dem diligis, quem contemplaris, Principem, fugeranos & fallaces honorum titulos, quando ille non vanum aliquem, sed debitum sibi jure optimo honorem, respuit. 3. Ut quid infelix mancipium ambitus tui, huic passioni tuæ, hoc est, impudenti Tyranno servies; cum probe jam intelligas, quàm gloriose Rex tuus, à primo vitæ suæ initio, per omne reliquum, quod exegit, tempus illam domuerit? 4. Ne venare illum, qui tibi nullo debetur titulo, honorem; sed neque illum admitte, quem mereris; nisi DEO probari intelligas, ut honoreris. 5. Ecquid verò hoc in negotio fecisti hactenus? quid, ut fecisses, modò desideras? quid tandem deinceps doceris agere? Itane gratis, & incassum abeat illud, quod Incarnatus DEI Filius præire tibi voluit, exemplum? Id certè, nisi in salutis tuæ converteris instrumentum, ad damnationem tuam serviet. 6. Disce, ò anima mea! in quo vera hominis versetur gloria: non in eo certè ut magnus oculis hominum appareat, sed ut ignotus lateat, & cum DEO suo solus habitet. 7. Tantum tibi non est generosi spiritus, ut unius momenti spatio te humilies; & magnus ille DEUS Redemptor tuus, quamdiu nobiscum adhuc mortalis conversatus est, immensitatem gloriæ suæ, quæ jure sanè irrefragabili

gabili ei debebatur, ignotam esse voluit, & voluit in nihilo latere tenebris.

III. P U N C T U M.

Paupertas Filij DEI.

Consideranda.

Contemplare paupertatem Regis Coelorum
 1. Usum dominij illius sibi omnem interdixit, quo post æternum Patrem supremus Univerſi Princeps pollebat in omnia. 2. Contentus Virginis uteri hospitio, & sanguine, quantum illi Virginea Mater impertiri voluit, idque contenta plenissima ad DEI voluntatem submissione. 3. Deliciis illis ultrò se abdicat, quæ Carni sanctissimæ propter Animæ beatitudinem debentur. 4. Et Mater, & Parens nutricius, & quotquot habuit familiaribus sibi notos, pauperes erant. 5. Carceris sui, cum in materno lateret utero, difficultates æquanimiter tolerat. Hæc dum consideras, internos illos Sacratissimæ hujus Animæ actus intueri, quibus debemus hæc virtutum, quæ palàm apparent, exempla.

Affectus.

1. Ingens thesaurus est paupertas, quæ in quidem caduca homini bona eripit, ut tamen DEUM eidem offerat possidendum. 2. O quàm JESUS est opulentus, cum Divinos in se thesaurus

sauros contineat, quamvis contemnat, ac respiciat, quidquid extra DEUM est. 3. Necessariis contentum vivere, & DEI circa se dispositioni acquiescere, sanè hoc est esse divitem. 4. Intellige tandem, ô anima mea, quibus ad voluptatem viis, modisque fas tibi sit contendere. Quid enim? Ubi nam rationi tu reperies contentaneas, quibus affici te fas sit, delicias, quando debitam Corpori suo beatitudinem Salvator tuus admittere noluit, nisi mortis acerbissimæ comparatam pretio. 5. Pati jucundum tibi esto, & pati eâ mentis erectæ lætitiâ, quâ suo in carcere Divinus infans delituit.

Colloquium instituum cum JESU Magistro, & Rege meo, adorando ejus perfectiones, detestando meas imperfectiones, veniamque rogando, quòd neglectâ ejus salutari instructione regias ipsius virtutes tam segniter amulatus sim. Auxilium dein supplex petam, quòd ipsius exemplo posthac meliùs proficere, & me ad tantarum virtutum splendorem accuratiùs componere valeam. Denique me totum ipsi consecrabo, & jam nunc incipiam.

Compendium Meditationis.

De Incarnatione Christi.

I. PÆLUDIUM. Angelus Virgini conceptum
Filij

Filij DEI, Divini Spiritûs operâ perficiendum nunciat; & impetrato consensu Matris, Spiritus Sanctus illicò ex purissimo ejus sanguine corpusculum efformat, animâ inque infundit, & utrique Divinum se VERBUM unit. Manet deinceps infantulus novem mensium solenni spatio in maternis visceribus, & pro cæterorum hominum indole sensim crescit.

II. PRÆLUDIUM. Collocatus in angulo virginalis cubiculi cum decente reverentia spectabo, quæ fiunt.

III. PRÆLUDIUM. Gratiam petam cognoscendi, amandi, & exercendi Obedientiam, Humilitatem, & Paupertatem Domini mei.

I. PUNCTUM. Obedit æternus DEI Filius Paternis imperiis. 2. Obedit etiam naturæ legibus, cum paulatim pro aliorum hominum more crescat. 3. Carcerem, in quo tantisper jubetur delitescere, lubens acceptat. 4. Circumferri se pro Matris arbitrio quaquaversum tolerat.

II. PUNCTUM. In eo se humiliat, quod corpusculum assumat minus, quam alij infantules soleant. 2. Quod se gloriâ corpori huic suo debitâ sponte priveret. 3. Quod nihil circa corporis habitum particulare passus sit accidere. 4. Quod se in carcere Materno novem ipsos

ritates detinuerit. 5. Quòd in omnibus Mater se voluntati lubens commiserit. 6. Quòd diversorium habere voluerit pauperculum. 7. Neque ditiores admiserit in familiaritatem. 8. Quòd, antequam nasceretur, jam servierit. 9. Quòd latuerit omnibus propemodum incognitus.

III. PUNCTUM. Dominio actuali, quod in omnia exercere poterat, ultro se abdicat. 2. Rebus non utitur aliis, quàm quas precario quasi à Matre sua sanctissima accipit. 3. Commoditates, corpori suo debitas, penitus recusat. 4. Cohabitat egenis.

Colloquium fiet, adorando Divini Regis mei perfectiones, detestando imperfectiones meas, & supplicando denique, ut cum Ejus Divina gratia ex pretiosis vitæ Ejus exemplis proficiam.

Meditatio

De Nativitate Christi.

I. PRÆLUDIUM. Cùm ad finem properarent novem illi menses, quibus illibata Mater Divinam prolem gestabat in utero, Cæsaris Augusti edictum quoddam prodiit, quo jubebantur subditi in sua quisque patria censerì. Id quod cum ad S. Josephum, Spontamque ejus sanctissimam pertineret, debebant in Bethlechem civitatem

tem David, cujus nepotes erant, proficisci, ut & sua curarent scribi, ac censeri nomina. Hoc ergo cum venissent, ita diversoria advenis undequaque jam scatebant, ut, quod se reciperent, superesset nihil; unde & in stabulo ruinoso tandem hospitari coacti sunt. Hic verò peperit Primogenitum suum, & pannis eum involvit, & reclinauit in præsepio.

II. PRÆLUDIUM. Ob oculos mihi statuum stabulum Bethlemiticum: ubi & contemplabor recubantē in præsepio Parvulum, mediū inter virginē Matrem, & S. Josephum. Cum decenti autem reverentiā iis, quæ ibi aguntur, attendam.

III. PRÆLUDIUM. Postulabo gratiam cognoscendi manifestè, amandi tenerè, & sincerè excelsi, & perfectam obedientiā, profundā humilitatem, & patientissimam egestatem, idque amore Christi Regis, & Salvatoris mei, qui illas amplexus est, ut ad earum me amorem unā tecum adduceret.

I. PUNCTUM.

Obedientia recens nati Filij DEI.
Consideranda.

Considerabo perfectam ejus obedientiam
1. Subiicit se Augusto, & aulicis ejus ministris, quam

Quamvis mandatum ejus malum fuerit, & ex
superbia ortum. 2. Et tempus nativitatis ac-
ceptat, & vile Bethlehemiticum oppidum, &
natalem sibi casulam pauperrimam eligit, ut
Prophetarum vaticinia, & æterni Patris sui vo-
luntatem, naturæque leges impleat. 3. Josephi
se permitit arbitrio, sanctissimæque Matris suæ,
quæ illum pro libitu suo portabat, involvebat,
lactabat, tractabatque. Expende hæc virtutis
exempla, penetra doctrinam, ex qua consenta-
neos deinde elicias

Affectus.

1. Quam perspicax est, obedientissime
JESU, obedientia tua! non enim homines, qui-
bus te subiecisti, intuebaris, sed ad illum erigebas
mentem, cui, & cujus studio in tantis te rebus
sottomisisti. 2. Tolle, obsecro, hanc rerum, per-
sonarumque acceptionem, & da, ut coram uno
me DEO meo, quem imperantem mihi agno-
sco, sistam in omnibus. 3. Parum interest,
cujus operâ, quod jubeor, mihi imperetur, pa-
rum, quousque se extendat, quod imponitur,
mandatum. Satis mihi superque sit, quod intel-
ligam, ita DEUM id velle, quod jubeor. 4. Eja
verò qualis hucusque mea fuit in obsequendo
sinceritas: avidiusne rem aliquam præ altera
complexus sum; cum ab alia abhorrerem, desidera-
rem

V

rem

rem aliam? 5. Ecquando tandem candidè ideo
 solùm obtemperabo, quia DEVS jubet, DEL-
 que ita fert voluntas? 6. Ecquando jucundè
 tandem etiam in illis obsequar, quæ nihil, quò
 natura se soletur, adferunt illicij, ut tantò sim
 securior, quòd obtemperandi studiò, quæ faciò,
 exequar? 7. Doceme, cœlestis obedientiæ Ma-
 gister, sincerè tibi obsequi! fac ô mentium
 obsequiosarum Rex amabilissime, ut inter fide-
 les subditos tuos locum aliquem & ego invenire
 valeam!

II. PUNCTUM.

Humilitas Filii DEI.

Consideranda.

Expende admirandam summi Regis nostri hu-
 militatem, 1. Non admisit eam, quæ sibi debe-
 batur, gloriam. 2. Stabulum pro palatio, &
 vile pro regali thalamo habere præsepium vo-
 luit. 3. Nascitur, sed quàm nullo apparatu, imò
 quàm arctâ rerum omnium commodarum ege-
 state, in ipso in has terras ingressu pressus.
 4. In alieno divertere voluit, nec nisi precario
 & incommodissimo hospitari angulo. 5. Et
 permittit tanquam æterna sapientia, & patris
 æquanimiter repulsam, quam gravida à Bethle-
 mitis civibus Divina Mater accepit. 6. Occulta

ta prodigio s̄ Nativitatis suæ miraculum, utique in Matris alioquin gratiam evulgandum. 7. Nolit Nativitatem suam in tota circum Regione, nisi pauperulis solum pastoribus innotescere. 8. Flere voluit, plangere, & quidquid ejusmodi signorum edere solent infantuli recens nati, humanæ conditionis infirmitatem testantes.

Affectus.

1. Intuere Regem Regum, ô anima mea, & quid morum Cœlestis ejus aula habeat, observa. Quidquid Majestatem sapit, vile existimat, quidquid parvum est humano sensu, ipse ut magnum eligit: nunquid fallitur? 2. O Domine sup̄mæ Majestatis, quantum nos infinitæ tuæ magnitudini devinctos habeas, necessit! postquam in hac demissione tua tantum, ad comparandam veram magnitudinem, parâsti præsidium humano generi. 3. Qui magnus esse desiderat, erit, quod optat, te certè arbitro & Jdice, si in oculis suis parvus fiat, totique mundo tecum gestiat vilescere. Ah Domine! quàm longè digreditur, qui mundi sequitur vestigia. Quàm est coram te despicabilis, qui mundo gaudet sublimis apparere? 4. Quàm adversa est, & vix, & depravato affectui meo cœlestis hæc doctrina tua! Ignosce, mi JESU, quod ego animi-

tus jam nunc execror, & detestor. Annihila-
 quidquid in me fastuosum vixit hactenus; ita
 te per te ipsum obsecro: erige obliquos affectus
 meos ad te, tuisque sanctissimis Amoris illis
 conforma. Hoc est, quod & tu, mi JESU, iuste
 à me desideras, & quò nihil in votis est mihi ar-
 dentius. 6. Fac ò bone JESU! per gratiam tu-
 am, ut nihil ambiam studiosius, quàm latere, &
 humiliari, pro eo, ac in votis erat hactenus, in
 sublime tolli, & palàm omnibus apparere. 7. Ab
 hoc deinceps momento unicè ignobiles vul-
 go qui apparent, diligam, lubens cum eis ver-
 bor, vivere in ipsorum consortio, non modò
 non horrebo, sed & ambiam: neque discedam à
 proposito, nisi tuæ, mi DEUS, voluntatis arbi-
 trio coactus.

III. PUNCTUM.

Paupertas Filij DEI.

Consideranda.

Paupertatem jam intueri recèns nati Messia,
 & tolerandi multiplex studium. 1. In terra
 nascitur non sua. 2. In stabulo. 3. Tempore
 frigido, loco incommodo, in summa parentum
 egestate, quàm mederi hisce omnibus malis pro-
 hibebantur. 4. Collocatur in prætepio; fac-
 tum pro plurimis est. 5. Nullis fovetur ex ulla
 parte

parte deliciis. 6. Pauperculus involvitur pan-
nis. 7. Parentes sunt pauperuli. 8. Neque dis-
similis est omnis circa eum apparatus. Attentè
hæc omnia perpende, & profundè demitte in
animum sublimem hanc cœlestis tui magistri
doctrinam, & admirandos Regis tui adus, qui-
bus in perfectione cum ætate crescit. Est enim
hoc in antro obedientia jam difficilior, humili-
tas contemptui jam magis obnoxia, & pauper-
tas omni genere molestiarum, & calamitatum
comitata. Disce sanè, quisquis hæc intueris,
quid amoris propria tua voluntas, quid hono-
res, quid deliciae mereantur.

Affectus.

1. Obstupesce ad intuitum Divini Regis in
his paupertatis extremæ sordes se demittentis,
qui creaturis suis tam nobile construxit do-
micilium, neque tolerabile invenerit hospitium
in primo suo has in terras ingressu. 2. Certè
turpiter hucusque me sefelli, amplexus adeo te-
nere, & tam curiosè sectatus, quidquid & carni
commodum, & jucundum sensibus accidit; ne-
que enim infallibilis sapientia hanc vivendi
normam tenuit. 3. Ecquid necesse erat, suavif-
sime Redemptor mi, hæc omnia sponte selige-
re, quibus Nativitas tua redderetur omni ex-
parte ærumnosa; nisi sanctissimo exemplo tuo

erudire me voluisses, non segrè quærendas esse, quas pro te patiamur, miseras, quàm naturam quæ sibi dulcia sunt, sequeatur. 4. Elimina, amabilissime Salvator, qui durum præsepe pro criminis tuis admisisti, elimina ex corde meo molles istos ad jucunda solum & dulcia affectus: fac, ut delectabile posthac nihil sit, quàm sequi te in Matris tuæ, & Josephi comitatu, & sanctâ cum æterno Patre tuo familiaritate. 5. Conqueratur verò deinceps iterum, si quid durius fortassis ego habear, quàm quisunque alius? Non ita fiet; si tua quidem, ô mi JESU, gratia me roboraverit. Neque enim intelligo, quâ tractari aut possim, aut debeam à quocunque immittenti domino, ut tuæ afflictiones illis, quas ego sustinerem, comparatæ, multis partibus non excedant. 6. Hæc potius, & querendi, & lugendi erit materies, si neque voluero, neque valuerim tantum pati, quantum par est me pati; tum ut Divinæ tuæ Justitiæ fati aliquando faciam, tum ut profectui meo studeam, tum denique præcipuè, ut exsolvam debitum, quod amori tuo debeo.

Colloquium cum JESU, Magistro, & Rege meo instituum; adorabo sanctissimas Ejus perfectiones; meos execrabor defectus &c. Veniam rogabo, quòd tam segrè Divinis ejus doctrinæ

III. Meditatio. De Nativitate Christi. 311

doctrinis aequieverim, & Regias Ejus virtutes tam imperitè imitatus sim: precabor deinceps, ut Divinâ me gratiâ suâ munire velit, qua emendem, quod erratum est, proficiam ex admirandis Ejus exemplis, & virtutes Ejus in me exprimam, pro eo, ac ut id faciam, Ipse impensè adeo desiderat. Denique Divinis Ejus obsequiis jam nunc inchoandis me consecrabo.

Compendium Meditationis

De Nativitate Christi.

Oratio præparatoria consueta.

I. PRÆLUDIUM. Edicto Imperatoris jubebatur S. Joseph, cum Virgine sponsa in Bethlehem proficisci, ubi non invento diversorio, ruinosum annosumque stabulum coguntur ingredi. Hic parit Virginea Mater DEI Filium, pannis eum involvit, & reclinat supra fœnum in præsepio.

II. PRÆLUDIUM. Intueri Dominum jacentem in præsepio, medium inter Matrem suam, & S. Josephum.

III. PRÆLUDIUM. Gratiam petere ad cognoscendam, amandam, exercendam obedientiam, Humilitatem, & Paupertatem Redemptoris mei.

I. PUNCTUM. Obsecutus est Augusto, & ministris ejus officialibus. 2. Implet Vaticinia, legem naturæ, & omnem æterni Patris voluntatem. 3. Totum se Josephi, & Matris permittit arbitrio.

II. PUNCTUM. Humiliat se 1. Privando corpus suâ gloriâ. 2. Nascens in stabulo, cubans in præsepi. 3. Rerum apparatu pauperimo. 4. Locò, quem precario habuit. 5. Exclutus ab omni diversorio. 6. Occultatâ prodigiosa nascendi ratione, cujus revelatio in Matris cessisset gloriam. 7. Nulli cognitus, nisi pauperibus quibusdam. 8. Nihil agendo denique ab aliorum infantum moribus diversum.

III. PUNCTUM. Paupertatem exercet. 1. Dum nascitur extra patriam. 2. In stabulo. 3. Sine ullo ærumnarum, loci, & temporis solatio. 4. Dum in præsepi recubat. 5. Non admisso, unde foveri utcunque posset corpusculum, solatio. 6. Dum paupere involvi panno sustinet. 7. Parentum non erubescit egestatem. 8. Ut neque totius suæ suppellectilis despicabilem vilitatem. Adverte deniq; jam crevisse has quodammodo virtutes.

Colloquium fiet cum Infantulo. Petenda erit venia, quòd tam segniter Regias Ejus virtutes imitatus sis; & gratia efflagitanda ad emendationem consentanea, quam ab hoc momento statuat, cum integrâ meâ oblatione inchoare.

DISSERTATIO

Pro Quarta Die,

De Amore Christi.

Seres plena admiratione, & propemodum incredibilis est, quod, qui palam profitentur fidem Christi, eumque ore quidem tenus pro DEI Filio, Redemptore suo, & ad Patrem Advocato habent, tam frigide nihilominus, quem ita predicant, affectu suo amplectantur; nunquid longe adhuc est execrabilius, quod nos, qui in Redemptoris hujus ampliori notitia jam profecimus, atque adeo ejusdem sancti amoris signibus toti deberemus ardere, vix tamen curam aliquid admittamus, sanctos hosce ardores, vel tantillum in nobis excitandi? Maeste animo! si quid sapias, tam infami hodie ignavia te liberas; ad quod serviet, si consideres imprimis titulos, quibus ad amandum Christum Dominum obligaris, tum indicia quaedam, unde cognoscere nobis datur, quantum eum diligamus, denique & quantum adhuc amaveris, & quantum porro amare statuas, quem unum amare debes unice.

I. Quod ad titulos, quibus amare Salvatorem nostrum compellimur, pertinet, ut uno omnes

U § com-

complectar verbulo, ajo: illos & numero, & magnitudine infinitos esse. Tria enim sunt, quæ in animum nostrum ita dominantur, ut cum amare quodammodo non tam jubeant, quàm cogant. Honestas scilicet, voluptas, & utilitas: & hæc omnia mirabili quadam unione in Divino hoc, de quo sermo est, amore comprehensa reperies.

Quidem enim, obsecro, & rationi est convenientius, & honestatis ingenue legibus conformius, quàm illa Redemptoris nostri suavissimo amoris reddere (quæ, quòd habeamus, ipsius amoris sunt beneficia) animum, vitam, bona omnia? DEUS certè infinita suæ majestatis indignum non judicat, vilissimam creaturam diligere, modò tantillum, quò amari mereatur, afferat illicium. Et vilis terræ vermiculus dubitare adhuc audebit, an naturæ legibus adstrictus sit, amoris aliquid, vix dignum hoc suo nomine, illi infinitæ Majestati rependere, à qua amorem ipsa infinitum accipit? Quin imò pulchrum sibi, & laudabile DEUS reputat amare creaturam suam, rationis adhuc usu vacuam, à qua non amatus tantum aliquando, sed offensus antè fuerit. Quantò igitur honestius esse judicas, ut creatura DEVM suum diligat, à quo amore pridem, & æterno, & inexple-

capabili fuerit dilecta: Denique infinita illa Bonitas, & sibi ipsi usque adeo plenè sufficiens, ut ab excellentissimis creaturis vel tantillum in perfectione augmentum recipiendi prorsus sit incapax, cum offensa fuisset à creaturarum ratione utentium despiciatissimâ, non modò debiti in illam pœnis non animadvertit, sed dignum aliquid majestate sua fecisse se putat, amare reintegrandâ cum prævaricatrice amicitiam, & multum in eo operæ collocare, ut ad se deviam reducat. Hæc DEVS agit: et fieri posse arduer, ut hæc ipsa, de qua sermo est, creatura, quæ boni nihil habet, nisi quod precariò ab infinita hac liberalitate accepit, gloriosum sibi non putet esse, si DEVM diligat, à quo tot ad amandum illecebris invitatur!

Jam si voluptas, & delectatio potentiùs humanæ voluntati, quàm honestas, soleat dominari, neque ex hac parte Divino Redemptoris nostri amori deesse potest aliquid. Fons est, vel, ut aptiùs loquamur, mare amplissimum non inanium voluptatum. Cæterùm ejusmodi humanam mentem mulcet delectatio, cujusmodi amor est, qui, cum rem, quam diligit, possidet, suavem illum, & gratisimum continuò progignit fructum, delectationem ajo, in qua plena diligentis animi versatur quies; éstque hic

hic amoris fructus tantò & suavior, & excellentior, quantò & parens amor est nobilior, & res quam diligis, in sublimiori rerum gradu versatur, quò item arctius se indulget amantis animo, & ad sublevandam ejusdem in rebus quam plurimis indigentiam, plus habere intelligitur aptitudinis. Hinc est, quòd passim nihil ambimus ardentius, quàm magnorum nobis conciliare animos, tanquam ejusmodi, scilicet patronos, quorum ope in summis vitæ hujus terrestribus egestatibus opportunè adjuvemur. Unde non est liquidius in rebus quidem caducis gaudium, quàm intelligere, gratiosos nos esse apud viros Principes. Sed ecce tibi, ô anime mihi Dominum Dominantium, & Regem Regum potentissimum, qui ita nos amat unicè, ut excessu quodam erga nos amoris ad insolita rapiatur; qui ita familiariter nobiscum optat conversari, ut ejus à nobis obtinendi studiò similem se nostrî fecerit, qui adeo cohabitare nobiscum desiderat, ut cibus esse noster, uniendus quàm posset intimè, dignatus sit. Et quid gaudij ex talis tantique Boni possessione non nascatur?

Quantùm verò & honestatis, & gaudij, quòd est in amore isto, crescet efficacia, si commodorum accedat magnitudo, quæ in nos ex hoc ter Sancto Redemptoris nostri amore proficiscuntur.

ciscuntur? tanta certè sunt, quanta creatæ
mentis æstimationem longè superant. Unde
cum majores sint, quàm ut dignè fatis à nobis
explicari valeant, uno omnia verbulo, quan-
tum licet, cogemur comprehendere. JESUS est
nobis omnia, si diligimus illum super omnia.
JESUS est corporis & animæ, hujus & futuræ
vitæ felicitas. Ab ipso habemus, quidquid na-
turæ debemus, & gratiæ; ab ipso, & quam in
gloria habituri sumus, speramus beatitudinem.
Ille vitam nobis mortemque suam tradidit, ut
ab æterno Patre gratias ad perfectionem, quam
nobis optat, obtinendam opportunas obti-
neat. Exemplis, & doctrinâ nos instruxit, nor-
mamque tradidit infallibilem arduæ sanctita-
tis. In sua nos Ecclesia collocavit, & Sacra-
mentorum addidit præsidia, & quod in his prin-
cipem habet locum, pretiosam nobis Car-
nem, Sanguinemque suum indulgere voluit, ut
ex his quasi fontibus tantum, quantum luberet,
haureremus cœlestium gratiarum, utque identi-
dem ad manus esset, ad quem urgente nos qua-
cumque calamitate, recursus pateret; adeo de-
um benignus est, & misericors, ut impudente
nostra ingratitude nunquam fatigetur, &
postquam offensas à nobis, quos mille sibi
nominibus obstrictos habet, expertus fuit in-
numera-

numerabiles, adhuc commiseratione nostri affici sultineat, & miseriarum nostrarum quasi sensu quodam tactus condoleat, nos ad amicitiam suam revocare, & in salutis viam reducere gestiat, & laboret.

O Dulcis JESU! quibus verbis sat explicabitur bonitas tua, quam indulges nobis? quis enumerabit bona illa, quæ à liberali tua in nos charitate dimanant? quis verò etiam comprehendet, quantos sanctissimus amor nominis tui profectus in omni virtutum cultu gignat, ubi semel animo ille nostro dominari cœperit? non nisi ternos nobilissimæ radicis hujus fructus commemoro, sed omni pretio majores. Amor ille, quo te Dilectum suum amplectuntur amantes animæ, omnium suavitatum, & solationum synopsis est suavissima, qua in hac valle lachrymarum exul anima suos mœrores solatur, & sine qua menti, excellentiæ quidem suæ si sit conscia, hæc vita inferni loco foret. Est deinde fortis hæc dilectio, præsidium, & robustus Clypeus contra impetuosos, plenosque periculi insultus, quibus juratus animam hostis ille nunquam non infestat: quod enim tentationis est genus, quod non in fumum illico solvatur, ut primùm divinus hic ignis in animo nostro gliscere inceperit? Est denique sublimis hic

hic amor, igneus ille ad nos de Cœlo demissus
curtus, qui à terra, & terrenis nos abstrahit,
& volucris raptu ad æterna cum tranquillitate
mentis inexplicabili sustollit.

Nunquid ergo, ô anima mea, Redempta, &
consecrata pretiosissimo Filij DEI sanguine,
nunquid rationum ex tua quidem parte satis
jam adduxi, quibus ad amandum JESUM tuum
efficaciter utique inducaris? sed age, jam & illa
quoque motiva consideremus, quæ sua quoque
ex parte Redemptor tuus affert, teque ad sui
amorem certè non segniter impellit: subli-
miora fortassis sunt, quàm ut illa satis mente tu
possis, & intelligentiâ assequi. Et idcirco de-
libare solum illa propositum mihi est. Adverte
nimium, & ut poteris, penetrare stude, quod
asseram. Magnus est Dilectus tuus, quia Ex-
cellentiâ, potestate, & majestate sua infinitus,
& idcirco ejusmodi illi amorem debes, qui
majestati suæ tam Augustæ totum id, quod es,
& quod habes, prompta voluntate subiiciat.
Perfectione, & sanctitate itidem infinitus est,
complexus in se, quidquid uspiam inveniri po-
tuit istiusmodi decorum. Et idcirco amorem il-
li debes, quo adores, venereris, & studiosè, quoad
verebit, in te exprimas, quidquid in illo adoras
laudabile; ita enim honorari, volunt hæc dile-
cti

tui ornamenta. Suavitatis in ratione gubernandi infinita est; infinita itidem pro salute suarum creaturarum sollicitudinis: amorem igitur illi debes, ita pietatis debita studiosum, ut omni Ejus voluntati acquiescas, teque paternae Ejus providentiae ex integro committas. Infinitus est in beneficentia, dona tibi largitus est infinita; ergo amorem illi debes, quo & gratus agnoscas munificam Ejus manum, & favoribus pro virili tua parte respondeas. Amore te complectitur infinito, amoris enim sunt munera, quotquot in te favores contulit; unde amorem illi debes, qualem amicus amico solet impendere, hoc est, reciprocum. Desiderium denique, quod amari à te gestit, infinitum est, & idcirco, ut tuum à te amorem impetret, tam pretiosa tibi obtulit. Nunquid ergo & justitiae titulo obligaris, ut amorem tuum illi reddas, qui hunc sui erga te amoris pretio, caro utique & nimium quantum pretioso, dignatus est emere?

II. Conviduus es, nisi fallor, & ultro jam facteris, persuasum tibi esse, quod obligatio amandi Salvatorem tuum infinita sit, neque deesse sincerum huic debito tuo satisfaciendi desiderium; ceterum unum adhuc superesse, quod horreas, in perenni nimirum sollicitudine te

videtur, si ardentissime quidem amorem hunc desideres, nunquam tamen morali solum certitudine securus sis de eo obtento, quod tanto pete concupiscis. Sanè non iniqua est querela. Est enim sanctus hic amor ejus indolis, ut, cum in se non subullius cadat sensus experientiam, utpote neque in verbis, neque in externis actibus consistens, sed intus, & in animo latens, difficulter admodum deprehendi, & cognosci possit. Nihilominus bono te animo velim esse, ejusmodi enim ego tibi producam testimonia præsentis in te preciosi hujusce hospitis, ut deceptura nunquam sint, modò explicando tibi hæc communia, quæ dicam, signa, tuo te judicio non permittas, sed alteri peritæ in hoc spiritus negotio personæ acquiescas.

Sincerus JESU Redemptoris nostri amor ignis quidam spiritualis est, & intus in animo amanti ardens, ejusmodi tamen non infrequentes extrâ affectus pandit, qui, num præsens nulla, unde nascuntur, radix, certa sunt argumenta. Est enim Divinus hic ignis materiali nostro non in paucis perquam similis. Unde sicut hic in effectu solum suo sentitur; ita non aliter ille quoque fit sensibilis. Sicut terrenus ignis suam præsentiam effectuum prodit ministerio, quos vel in eo, quod occupat, corpore, vel

X

in

in vicinis juxtà rebus producere solet; ita Christi amor suam amanti animæ præsentiam manifestat, tum internis intellectûs & voluntatis motibus, tum etiam ipsius corporis mutationibus, quarum non rarò ille causa est. Aliis item innotescit, tum verborum operâ, quæ cum ignita videantur, & sint, totum orbem sanctis amantium caloribus implent, tum rerum ejusmodi ministerio, quæ procurando & augendo Redemptoris nostri cultui opportunæ sunt, tum demum omni calamitatum genere, quas amore JESU toleramus.

Jam cum Cœlestis sit, de quo sermo est, ignis, mirum non est, quòd in sublimia nunquam non tendat. Hinc est, quòd neque cogitet aliud, quàm dilectum suum, qui in caelis est, neque aliud videat in terris, nisi quem diligit, nulli animum creaturæ indulgeat, nisi quam ad JESUM suum quodammodo pertinere viderit; hic solus est, quo mentem identidem occupat, in hoc omne versatur studium, ut & quantum sit, quem amat, intelligat, & Evangelicam ejus doctrinam, præcepta, instructiones, exempla, quàm potest, profundissimè penetret; tanti facit actionem Dilecti sui minimam, unumque verbulum, quanti nullas totius orbis divitias. Et hoc si in te experiris indicium amoris

amoris, puta, te grande aliquid, uti reverà est, deprehendisse, quòd enim tam altè de Christo Redemptore tuo sentias, magni amoris, quo te ipse complectitur, est beneficium. Ita enim hæc de Salvatore tuo, rebúsque ejus, æstimatio totam solet sibi mentem vendicare, ut omnes hominis facultates jam non laborent aliud, nisi quod amati promovet gloriam, neque affectus aliud complectantur, quàm quem unicè præ omnibus bonis diligunt.

Est verò perquam etiam activus hic ignis, & efficax, neque noctu quietus, nec interdiu. Vigilem proinde, & intentam in omnia, quæ & placita, & honorifica Salvatori suo sint, consecrat animam. Et cum aliud jam in Ejus gratiam agendum non occurrit, eo saltem se occupat, ut considerandum sibi sumat, quem diligit, laudet, amet, & quantum ab aliis colatur, & ametur, secum ipsâ contemplans suavissimis gaudiis colloquescit.

Neque in eo cœlestis hæc flamma ab igne nostro diversa est, quòd sit insatiabilis, neque sua unquam latitudine ita contenta, ut non augeri cupiat identidem. Unde frequenter admodum amanti animo hoc ingerit: amandum est DEI Filium, quantum ipse amare nos dignatus est, & ita si fieri possit, amandum, ut plus

amoris reddamus ei, qui sine merito nostro
 prior nos dilexit; tantum enim restituere, quan-
 tum accepimus, iustitia solum est, qua non con-
 tentus sincerus amor, ad altius aliquid aspirat.
 Proinde cum nunquam æquari amorem suum
 Eius, quem diligit, meritis intelligat, nunquam
 desinit, quidquid virium suarum novit esse, dile-
 cto suo consecrare; se enim, & quidquid ad se
 pertinet, cum donaverit, eò assurgit, ut quidquid
 in universo rerum est, illi dedicet, id quod facit
 sincera in se excitando desideria videndi, omnia
 unico DEI sui cultui promovendo consecrata.
 Quæ quidem dum considerat, ad procurandas
 in notitia Redemptoris nostri magnos in se &
 in alis profectus promovetur, ut, aucta cum hac
 cognitione, amandi & serviendi promptitudine,
 amplius à se, & passim ab omnibus honoretur,
 inde est, quòd nunquam, quisquis amat, susti-
 neat dicere: *satis laboratum amore JESU, satis*
intoleratum est pro JESU, satis dictum est pro
JESU. Si Divinæ providentiæ legibus non pro-
 hiberetur, plus aliquid, & nobilius esse optaret
 anima, ac est, & excellentiam vellet sibi cælitus
 obtingisse infinitam, ut illam Filio DEI conse-
 craret, atque pretioso munere propius quo-
 dammodo ad æquandum meritis amati amo-
 rem suum daretur accedere. Neque se ulla ob-
 fert

fert occasio, vel agendo, vel patiendo fortia, promovendi honorem Ejus, quem diligit, quin avidis illam amplexibus tanquam amabile incendi sui, quo intus ardet, alimentum stringat.

Est & consumens, & vorax divinus hic ignis. Id ex anima, quæ diligit, manifestum fit, quam totam ille in flammam mutat, eoque demum reducit, ut sibi penitus consumpta, & esse sibi, & vivere desinat, quidquid divitiarum, voluptatum, honorum, amicorum, sanitatis, & vitæ habuit, id omne ita devorat, ut nobilis inde hostia divino cultui tota conflagret.

Quod violentus sit, ex eo conijcies, quod quidquid obistere dominatui suo nititur, id viator illico calor domare noverit. Nihil hic virium vani illi naturæ impetus obtinent, quibus ad honores hominem, ad opes, ad caduca gaudia & quævis sensuum blandimenta abripit; profernit hic ignis omnia, & consumit, ut axutus terrenis animus plenè dilecto suo placeat.

Quid quod eò protendat vires suas, ut nulli plane rei cedat, invictus passim, & insuperabilis Aquæ calamitatum, utcunque largis affusæ fluitibus, non extinguunt has flammam; duræ & bene graves crucum machinæ, sub quibus succubitura videtur anima, non suffocant



amoris incendium : nullis se angustiis includi patitur ; viam sibi & spatia ardendi quaqua versum aperit, & quò impudentius incrementis resistitur, hoc generosiùs in contrarios obices grassatur. Lucrum ex ipsis sibi adversariis comparat, & in suò alimentum ea novit convertere, unde exitium hostis minabatur ; atque adeo et hostibus, quos experitur, novarum sibi virium salutes quæstus facit.

Mirum jam est, quantum cœlestis hæc flamma illustret, & calere faciat amantis animum. Eò certè quandoque excresecunt ardores isti, ut illa amantes audeant aggredi, quæ viribus etiam suis majora sciunt. Ita nimirum statuunt, nihil arduum nimis illi esse, cujus amore se sciunt ad hæc agenda erigi, cujus foveri se, & firmari nõrunt gratiã, cujus tandem ad amandum tam robustè, invitantur illecebris.

Vix demum in alio prodigiosior est, ac in admiranda illa, quam exercet, dissolvendi potestate. Omnes animi recessus, & angulos, affectus omnes occultissimos ita peritè penetrat, & pervadit, ut terrestre illic nihil sit, quin incendii fatalis virtute dissolutum, in vaporem abeat, inter uberes amantis lachrymas, quibus dilecto suo lavatur, & identidem sic candidior. Atq; ita, exuto omni ad terras, & terrestria affectu, se de-

dicat anima, ut tota deinceps illi vivat, tota sub
Ejus quiescat dominatu, tota ipsi nexu indissolu-
bili colligetur. Quid multis? Ignis Illius, quo
ardet felix anima, jam imitata indolem, nun-
quam beato illius incendio tota non involvitur.
Et, si in Ejus quidem esset potestate, iisdem flam-
mis orbem comburi faceret universum.

Vidisti haec certa divini amoris hujus
argumenta; jam te ipsum intueri, & ingenuo, si
bonus es, pudore confundere; expia salutari lu-
ctu exaeti temporis socordiam, & animum ita
non desponde, ut non generosos tibi conatus
pro futuro, quod vives, tempore proponas. Erub-
esce igitur, cum videris, non jam dicam mo-
dicos ardores illos, aut fervorem non vivacissi-
mum, aut calorem etiam remissiore, sed ne-
gligentias, sed torporem, & intolerabile illud
frigus animi tui, tam parum erga illum pro-
pensi, cui amores debebas tantos, quantorum ul-
la voluntas capax est. Sanè causarum, nisi fal-
lor, satis exposui, quibus inducaris, ut erubescas
errores tam enormes, iis ut indigneris meritò,
& veniam ab illa bonitate infinita depreceris,
quam nefario contemptu toties offendere non
es veritus. Jam ergo, si haec, quae officij
tui sunt, neglexisti exequi, at emendationem ne
porro differas, sed hodie ordire, quae decent, ag-
gredi.

X 4

Hac

Hac igitur hora , hoc momento , hæc ipsa dum legis, antè quàm ultrà progrediàre , ita tecum statue , consecrandum animum, totàmque operam tuam esse divinis his amoribus : sed cave, in tam grandis momenti negotio , inconsultè te ut geras. Non illa tibi statim agenda sume, quæ in hoc amandi studio sunt difficillima. Ab illis priùs incipe , à quibus, si sumatur exordium, magni sensim profectus fiunt. Corenium tuum, quamd u aliquo adhuc ad rem creatam affectu laborat, eò non valet aspirare , ut perfectionem sanctissimi amoris hujus spondere sibi audeat obtinendam ; & tamen non nisi difficillimè à rebus creatis se abstrahit , nisi dulci quodam amoris Divini gustu sit illectum. Inde est, quòd conjunctâ operâ duo tibi agenda sint, ut fructuosè & cum solidi profectus spe agas , quæ agis.

Primum est, ut quotidie comparandæ de Salvatoris nostri dignitate , & decoribus notitiæ, studii non nihil adhibeas , lectis in hunc finem iis, quæ de ipso , vel Evangelium , præsertim S. Joannis , vel Acta, & Epistolæ Apostolorum, vel prophetia Isaia , vel etiam alij Pij Libelli habent , quos vel ipse nôsti , vel expertorum hominum consilio ad rem præsentem utiles tibi fuisse intelliges. Ad idem hoc negotium confe-

ret, quotidie certum de Sanctissima Christi Salvatoris vitâ considerationis aliquid assumes; sive id fiat ad meditationis cujuscumque formatum, sive alia quacunque ratione. Cura etiam, ut quotidianas actiones tuas ad honorem, & gloriam Redemptoris nostri æterni Patri offeras, neque diem ullum negligas, quò non infinitæ ejus bonitati peculiare aliquod obsequij genus præstes. Hac enim industriâ tuâ id consequeris, ut amoris aliquid erga ipsum in te excites.

Huic primæ tuæ diligentia, & hanc alteram tanquam individuam illius comitem adjuuge. Quanto te affectu ad res creatas inclinari sentis, tanto te ab illis studio, vide, ut avellas, abhorens ab ignobili hac mentis obliquitate, quæ Salvatori tuo tantopere adversa est: ardens deinde in te excita desiderium, non aliud amandi unquam, quàm JESUM, summum illud & unicum bonum tuum; quem proinde obsecrabis, ut omnem animo tuo amorem exulare jubeat, præter illum, quem ipsi debes: æternum denique vale, fac, ut dicas rebus deinceps omnibus, & illi maxime, quæ te molestius ad sui amorem pellicit; sive persona sit aliqua, sive dignitas, sive voluptas, aut alia quæcunque corporis blandimenta, & ut serio illi valedixisse te comprobas, reipsâ te à vanis his amoribus separa, quam-

vīs animum conatibus tuis reluctantem adhuc
adhærere his nugis sentias. Multū, mihi cre-
de, ad magnos profectus adjumenti afferet tam
generosus labor: prosequetur enim bonus
DEUS liberali favore suo hęc amoris tui vota,
& sensim ita tibi pravorum hos affectus eximet, ut
quotidianis augmentis in sanctissimo JESU
amore crescas.

Quod si vigili cura exequēris, quę consulo,
suaviter quidem, sed bene longè in amoris pro-
cedes semitā: neque ulla pacem animę tuę
turbabit inquietas; si, ut primū in sincerissimū
affectū leges quidpiam deliquisti, veniam con-
tinuò supplici tibi prece flagi-
taveris.



C O N S I D E R A T I O

Pro Quarta Die.

De Lectione Spirituali, Concione &
Communicatione cum Patre
spirituali.

Triplicem hîc tibi modum propono, quo
DEUS, humanâ usus operâ, plerumq; nos
instruit. Initium à lectione spirituali faciamus.
Quâ illam ratione obire soles? an eâ, qua par
est, ut obires? certumne tempus, quod illi im-
pendas, seligis? Tamne industriè illi vacas, ut
tâ quidem ignaviâ illam non negligas? Tan-
tumne tibi est otij, ut illi quotidie mediam, aut
quartam certè horæ partem consecres? Quid
hac super re spiritualis Pater judicat?

2. Nunquid facilè tecum ipso dispensas,
blandè tibi persuadens, non usque adeo necessa-
rium tibi esse librorum ejusmodi usum tam
frequenter? multum sanè, si mihi voles crede-
re, deciperis: si quid enim habes scientiæ spi-
ritualis, non nisi speculativa illa erit; ergo ut
practicam adipiscaris, ea, quæ hanc in te pro-
movent, legas necesse est. Si verò rudis adhuc
es, longè major legendi te urget necessitas, ut il-
lustretur intelligentia. Divinum certè, quod im-

implorare, & sperare debes, lumen opportunum indigentia tua mederi noverit.

3. An absque ullo librorum discrimine quidlibet tibi obvium legendum sumis? an prodeum hac super re exquiris, & sequeris consilia? Certè non omnis omnem stomachum fovet, ac nutrit cibus. Quid tibi sit opportunum magisque necessarium, expende. Et si hunc quendam annum in certæ cujusciam virtutis acquirendæ studio decrevisti ponere, etiam lectio spiritualis ad hoc propositum ut te juvet, vide. Consule hoc in negotio oraculum tuum.

4. Selige, quem totum semel, atque etiam iterum evolvas, commodum rebus tuis librum hoc enim consultius tibi erit, quàm si per multos sine discrimine vagatus illud ex singulis decerpseris, quod arridebit, vel ad propositum tuum faciet. Nam si tuam duntaxat delectationem quæsieris, nihil proficies; si verò plura ad eundem propositum tibi finem collegeris, studium ex lectione tua spirituali fiet.

5. Vita curiositatem in indagandis subtilitatibus, quæ legenti quandoque futuræ sunt. Fuge doctrinæ novitates, liber enim asceticus mentis alimentum debet esse, ergo salutare utique. Et proinde neque avidè nimium lege, producens ultrà, quàm ordo diurnus permittat, le-

tionem, neque abrumpe illam ex tædio, quod aliquando oboritur, sed ut ordinem, quem negotiis tuis statuisti, religiosè serves, studiosè invigila.

6. Neque multa legas; pauca, quæ legisti, studiosè tecum ipso expendito. Horum ferè fidelem memoriam DEO oportet, ut commendat: ille, si voluerit, faciliè recordari te faciet, cum usus erit, & occasio, ea, quæ legisti, in praxim deducendi. Stomachus, quem ingestis immodicè cibus oneras, digerendæ non est tam inamabili massæ: & lectio nimia minus in virtutum studio profectûs affert, quàm voluptatis, quæ intellectum tantisper recreat.

7. Sub initium lectionis mentem ad DEVM eleva, & inde Divinam tibi lucem roga, quâ intelligas, quid fieri à te sanctissima Ejus voluntas jubeat. Cùm legeris aliquantulum, jamque intellexeris, quid à te DEVS exigit, gratiam ab eodem flagita, ad perficiendum, quod officij tui esse cognovisti. Ita cùm cessabis deinde legere, alias rursus preces debebis subjungere, quibus pro immisissis cœlitus animi illustrationibus, motibusque grates Divinæ majestati persolvas, impensèque flagites, ut per infinitam bonitatem in loco, & tempore congruo, effectu confirmare dignetur, quod operari in te designata est.

8. Stu-

8. Stude, ut effecta des, quæ legisti, hoc tamen pacto. 1. ut nunquam, exercendo, quæ ex libris didicisti, spiritualis tui directoris adversus ductui. 2. Ut novi nihil absque majorum tuorum consilio statuas, vel aggrediaris. Liber enim ita pro omni hominum genere factus est, ut, qui scripsit, particularium, quæ in te sunt, conditionum rationem non habuerit, quæ quidem ejus fortasse sunt generis, ut te ab eo, quod liber generatim consulit, penitus exemptum cupiant.

9. Quod si, ut quandoque accidit, varia te juvat lectio, pro festis solemnioribus ejusmodi cape librum, qui de Mysteriis, quæ Ecclesia statutis vicibus obire solet, luculenter tractet, vel Sanctorum Vitas perlege, quorum per annum occurrunt festivi Cultus. Si quotidie placet mutare lectionis materiam, usui esse possunt meditationes R. P. Hayneusue, ex quibus suam Diei cuique designatam, si lubet, poteris legere. Eidem proposito annus Christianus R. P. Suffren servire poterit.

10. Si Latinum intelligis, ex Sacris Litteris, vel quotidie, vel festivis saltem diebus aliquid legito, prout spiritualis tibi Director suasurus est. Libellus Thomæ Kempensis de Imitatione Christi passim omnibus familiaris esto. Illum, vel

vel ordine capitum, quo se sequuntur, evolve,
vel quotidie parùm saltem aliquid, quod pri-
mum fortuito aperienti librum occurret: con-
sule Majorum placita, & obtempera.

11. Ex Concionatoribus illos quære, qui ad
spiritus profectum potiùs, quàm qui eloquen-
ter dicunt. Illos æstima, qui Sacrosanctum
habent, quidquid docuit antiquitas. Novatores
nunquam non suspecti sunt. Illos elige, qui ef-
ficacius voluntatè movent, quàm qui curiosè in-
tellectui blandiuntur. Illos præ ceteris approba,
qui, quæ tuo profectui accomodatiora sunt, tra-
ctant, quique ad singularia, vel ad ipsa virtutum
exercitia descendunt, quàm qui speculativis te-
lominis occupant. At nihil novarum tibi
obligationum assume, quin cum Spirituali tuo
Consiliario rem contuleris.

12. Supplica DEO, & pro Concionatore, &
pro auditoribus, quos inter tuum non esto imme-
mor. In finitæ Majestatis placita congruâ cum
animi demissione excipe, & infinitæ Bonitatis
doctrinam animo ad obsequendum prompto
admitte. Concipe desiderium ingens, opere,
quæ auditurus es, complendi. Quæ contra vi-
tiorum dicuntur turpitudinem, nulli nisi tibi
applica. Excute sedulò, quæ in animi tui sinu
latent; deprehendes intus, quidquid Orator di-
cit.

cit. Discipulum te memineras, non censorem; DEUS enim, prout Majestati suæ placuerit, tibi loquitur, non prout delicata tua curiositas desiderat.

13. Cùm discesseris, cave, vacuus abeas, sed aliquid præsentis rerum tuarum statui proficuum tecum asporta. Morosius deinde, atque per otium tecum expende, quæ DEUS per interpretem suum tibi loqui dignatus est. Granum in terram jactum, nisi, quantum satis est ad radicis firmitatem, penetret, & perduret, fructum non facit. Certè non est facilè majus in virtutis profectu impedimentum, quàm hæc animi ad terræna effusio; quidquid enim salutarium doctrinarum immisit DEUS, inconsultæ evagationis hujus vitio in auras abit.

14. DEUM ne aliquando precatus es, ut idoneum tibi Magistrum Spiritus det obtingere: si aliquem selegisti, fundâsti in solidis quibusdam spiritualibus Principiis delectum illum? Tantine ille ingenij, probitatis, & peritiæ est, ut securè ei salutis & perfectionis tuæ negotium possis committere?

15. Ad eone illi affixus es, ut nullius alterius, in quantumvis gravibus negotiis, consilium exquirere tibi sit integrum, quamvis videatur tunc ille viâ te ejusmodi deducere, quæ multum à so-

leni illo DEI nos vocantis ductu diversa sit? Erronea est, & vitiosa hæc servitus, quia humano respectui obnoxia. Qui Divino spiritu auspice commissos sibi dirigit, nunquam prohibere solet, quin & alij boni viri super graviore quodam negotio possint consuli. Jam qui sui cordis hospitem non habet, & magistrum Divinum spiritum, quibus illum artibus alijs infunde?

16. Tamne fidelis es directori tuo, quam tibi ipsi, nihil illum consultò ex illis celans, quæ ad directionem tuam momenti aliquid habitura videntur? Nunquàmne dissimulas errores tuos? Non occultas illos aliquantulum? non exaggeras, si quid boni fecisse tibi videris? Nonne sanctas, quas aliquando habes, cogitationes pro desideris illi vendis, & desideria pro ipsis operibus? Nunquàmne certas temet mortificandi facultates eo fine concedi tibi petiisti, ut repullam in his ipsis postulatis ferres? Superi! quod fallaciarum, quantam tu intus hypocrisis loqueres, si ita te comparatum deprehenderes!

17. An in omnibus illis ejus exquiris consilium, quæ vel tantillum ad profectum tui spiritus videntur factura aliquid? Scitne, quis tibi ordo diurnus præfixus sit, quæ devotionis exercitia, quæ occupationes, quæ soleat esse tua con-

Y

YCF

versatio? Ex ejusne consilio fiunt, quæ afflicta-
di tui studiô facis, quæ oras, quæ legis, & quid-
quid tandem ad Religionem pertinens agis?
Ejusne responsis, ac monitis demissè acquiescis,
tuam voluntatem, & judicium ejus subiciens
sententiæ?

18. Rogâstine aliquando illum, ut sedulô
tibi curet attendere, ne quod salutis suæ peri-
culum incurrat anima tua, ut generosè in via
virtutis sine blandis diverticulis progrediare?
Nunquàmne instrui desiderâsti, quæ sit inces-
tis difficilioribus vitæ hujus eventibus agendi,
patiendive ratio, quibus labores vitis, quodnam
periculosius te infestet? Ostenditne aliquando
tibi, quâ arte neque imitari defectus alienos
neque tamen errantes contemnere possis?

19. Libenter cum ipso conversare, modera-
tionis tamen non obliviscere, ut neque quotidie,
neque ex quacunque causa indiscriminatim ad
illum curras. Ex ipso igitur commodius intel-
liges, quando, & super quibus rebus à te velit
consuli. Cùm accedis, præviâ ad DEUM pre-
catiunculâ obsecrabis, ut ea ipsi suggerere dignetur,
quæ salutaria tibi sunt, & apertum ipsi ani-
mum affer, tum ea sincerè depromas, quæ te in-
tus cruciant, tum ea promptè suscipias, quæ tibi
DEUS Magistri hujus tui operâ vult inferere.

10. Ne jaeta pueriliter ejus peritiam: ante
em,quam elegeris, oportet aestimare, & de
preo illius judicare tecum. Neque alios, qui
diverso utuntur modo, in ducendis ad virtutem
mentibus, contemne: non enim uno calle
DEUS ad se deducit humanas mentes; & non
tuo accidit, ut qui aliorum reiiciunt instructio-
nem, vehementer se deceptos inveniant, ita
DEO in superbia vindictam permittente.
Quod si ille ipse, quem tibi Ducem elegisti, aliis
apertorem se & peritorem judicat, parum
ego de ipsius perfectione
sentio.

